C. I. N. D N. J. C.

EXERCITATIO JURIDICA,

generalem & brevem

JURIS IN IMPERIO ROMANO
Germanico nunc obtinentis

NOTITIAM,

Exercitii tantum gratia
per theses aliquot
exhibens

PRÆSIDE

DN. JOH. ANDREA Frommann / D.
& Instit. Imper. P. P. h. t. Universit.
Rectore,

RESPONDENTE

M. JOH. ULRICO Pregitzer / Tubing.

In Auditorio Juridico,

Ad d. X. Martij,
horis antem.

TUBINGÆ,

LITERIS KERNERIANIS, 1666.

THESES JURIDICÆ

Notit. jur. Rom. exhib.

1 IUS (in proprio significatu hîc acceptum, sepositis cæteris, *de quibus potissimum in l. pen. & ult. ff. de just. & Iur. & aliis in locis, collectis ab* Hodeg. Rebhanian. *p.37.*) est constitutum quid à Legislatore, propositum in eum finem, ut sub ejus jurisdictione viventibus sit actionum civilium norma atque vivendi regula.

2. Ut ut autem Legislator quilibet de variis rebus atque capitibus Jura constituit, & sic plura proponit: omnia tamen conjunctim, ex usu vocis complexivo, Jus vocantur, atque sub unicum hoc vocabulum, uti partes sub totum, coguntur.

3. Jus *Civile* in genere, de quo hîc, tum ab *Effic.* tum à *Subjecto*, cujus potissimum in usum promulgatur, divisionem accipit: ita, ut aliud dicatur *Romanum*, aliud *Suecicum, Hungaricum*, aliud alio, sed simili, nomine veniat. De *Rom.* nobis hîc sermo est, quod Juris, aut Juris Civilis nomine κατ᾽ ἐξοχὴν in Rom. Imperio meritò venit. §. *2. I. de jur. nat. gent. & civ.* jura populi Rom. ut loquitur Imp. *in* §. *2. I. de Iust. & Iur.* complectens.

4. Jus *Romanum* est jus illud omne, quod à Legislatore Rom. in civium potissimum Rom. usum constitutum est, *d.* §. *2.* Hoc jus Rom. *à modo promulgandi* & ratione, voluntatem legislatoriam declarandi, inde ab initio Imperii huc usque observata, distinguitur in scriptum, & non scriptum, §. *3. Iunct.* §. *10. I. de Iur. N. G. & C.*

5. Jus Rom. *Scriptum* est jus expressa Legislatoris Rom. voluntate, per Scripturam declarata, promulgatum. Hoc ipsum à *Legislatore Rom.* præ cæteris, in Legum Roman. promulgatione ac compilatione celebri, subdistinguitur. Quod enim in Imperio Rom. hactenus habemus jus, *partim* est Justinianeum, *partim* Justinianeo recentius.

6. Jus *Justinianeum* est Jus Rom. Scriptum Justiniani Imp. jussu partim compilatum, part. ab eo promulgatum: ex quo, in unum volumen, quod sub nomine *Corporis Juris Civilis* circumfertur, collecto adhuc hodie in Imp. Romano-Germanico causarum decisiones

petuntur. Id vero ab *adjuncto temporis* & *effectu* est vel *anterius & in uno ac altero correctum*; vel *posterius* & novissimum, id ipsum in uno & altero ex Imperatoris instituto corrigens ac supplens. *Illud* à *fine* est *partim* Isagogicum, *partim* systematicum.

7. Jus Justinianeum anterius *Isagogicum* est illud, quod simul præcepta ac principia, ad Jus Justinianeum systematicum viam sternentia exhibet in quatuor Institutionum libris comprehensum. Sunt autem *Institutiones* Juris (quæ & Instituta promiscuè ab ipso Justiniano vocantur, *constit. tanta. §.11. de confirm. ff. ad Sen. junct. §.11. const. dedit. de confirm. ff. ad magn. sen.*) totius legitimæ scientiæ prima elementa. *§.4. proœm. Instit.* Sive *Institutiones* Juris sunt totius juris Justinianei compendium, Justiniani Imp. jussu ex antiquorum JCtor. præcipuè Gay, libris & recentiorib. Justiniani constitutionibus compositum in eum finem, ut Studiosæ juventuti prima juris, usu obtientis, fundamenta, authoritate Imperatoria, tradat. *d §.4. & §. seq.*

8. *Digesta* seu *Pandectæ* (cujus appellationis ratio traditur ab Imp. *in §. 1. Constit. dedit. de confirm. ff. ad magn. Sen.*) sunt illa Juris Justinianeî anterioris pars, quæ ex legib. plebiscitis, SCtis, Prætorum edictis, & maximè JCtorum, quæ ad has partes accessere, interpretationibus, horumque responsis, est compilata.

9. Quod utrumque volumen, Institutionum & Pandectarum, illud quid. *11. Cal. Dec. seu 21. Nov. anno 533.* editum. *proœm. Inst. in fin.* hoc vero compilari mandatum *18. Cal. Ian. seu 15. Decembr. ann. 530.* sed editum *17. Cal. Ian. seu 16. Decembr. ann. 533.* constit. *tanta. § fin. de confirm. ff. ad Senat.* ex eodem die, nempe *30. Decembr. ejusd. anni* in Imperio vim ac robur legum accepit, *d. Constit. dedit. §.23. de Confirm. ff. ad magn. Senat.* à Justiniano anno Chr. 527. ad Imperium evecto.

10. *Codex repetitæ prælectionis* est Juris Justin. systematici pars illa, quæ ex meris Imperator. varior. inde ab Hadriano ad Justinianum, & hujus maximè, in annum usque 534. editis, rescriptis ac constitutionibus, Codice priore Justinianeo, ann. 529. emisso, abolito, compilata est in eum finem, ut ex eo recitatio constitutionum Imperatoriarum ad litium decisiones fiat. Vid. *Const. cordi. de emend. Cod. Iunct. Const. hac quæ. de N. C. F.*

11. Utrum-

11. Utrumque & Digestorum & Codicis volumen ad ordinem & methodum perpetui edicti compositum esse, hinc inde, nec non & ejus compilator, inculcatur. *Vid. Constit. Deo Auctore §. 5. de concept. ff. ad Trib. constit. tanta §. 18. de confirm. ff. ad Senat. l. 2. ff. de stat. hom. l. 1. §. fin. ff. de appell. non recip. l. 15. C. de usufr. l. pen. C. de cond. ind.*

Est autem. *Edictum perpetuum* edictum à Salvio Juliano JC. Adriani Imp. jussu è Prætorum Rom. variis edictis, confusis atq; dispersis, sed quæ annua tantum fuerant, collectum in eum finem, ut ad id potestas jurisdicendi perpetuò restricta esset. Ad illud ita compositum postmodû JCti varios scripsere libros, maximè Ulpianus & Paulus, è quibus quam plurimæ Digestorum leges sunt desumptæ, ut & ex ipso edicto.

12. Jus Justinianeum *posterius & novissimum, anterioris correctorium & suppletorium*, sunt variæ constitutiones Justiniani, post Isagogicum & systematicum jus jam editum, promulgatæ in eum potissimum finem, ut jus illud anterius in uno vel altero tantum puncto corrigant, aut suppleant. Vocantur eæd. *Novellæ*, respectivè ad priores, ad Codicis usque editionem latæ. Vocantur & Authenticæ, quod κατὰ πόδα uberius, pinguius, & ad verbum è Græco, quo pleræque conscriptæ, in Latinum ab anonymo translatæ. Joseph Maria Suares *in notit. Basil.* & sic certam fidem atque authoritatem habent: ut ut privata authoritate ita collectæ, aut potius in unum volumen conjectæ sunt.

13. Ex hoc Novellarum Justin. volumine desumptæ sunt Authenticæ libris prioribus novem Codicis insertæ. Sunt n. *Authenticæ Justin.* nihil aliud, quam summulæ ex Novellis Justiniani ab Irnerio, ut plerunq; creditur, JCto exerptæ, legibus Codicis insertæ in eum plerunque finem, ut ostendatur legem antecedentem novella Justin. vel ampliatam vel restrictam aut sublatam esse. Sichard. *ad auth. navigia C. de furt. n. 1. & alibi.* Quæ insertio cum publica auctoritate non fuerit facta, authoritatem non nisi ex fonte suo habent. Treutl. *vol. 2. disp. 27. th. 9. e.*

14. Jus Romanum scriptum *Justinianeo recentius*, quo in in Imperio Rom. utimur, est jus illud, quod post Justinianum in Imperio Romano-Germanico promulgatum juris Justinianei partim confirmandi, partim in uno & altero corrigendi & supplendi gratia. Dico: *quo*

utimur in Imperio: ad excludendum constitutiones posterior. Imperatorum Orientis varias, adhuc extantes, maximè in opere, quod Græci vocant, Basilicum.

15. *Basilicum* est volumen ab Imp. Basilio Macedone inchoatum & à Leone Filio, quem Philosophum appellarunt, perfectum, in 60. libros distributum, è Justiniani potissimum Institutionibus, Digestis, Codice & Novellis, nec non aliorum Impp. & ipsius Basilii constitutionibus ac Leonis Novellis collectum in eum finem, ut ex uno volumine juris obtinentis decisio causar. peteretur. Vid. *proœm. Leon. in dict. Basilic.*

Cujus scholiis Interpretum illustrati partes plerasq; è latebris eductas & collectas, cæteras autem, adhuc vel latitantes vel perditas, aliunde suppletas Carolus Hannibal Fabrotus, *Antecessor, Aquisextiensium Decanus*, anno hujus seculi 47. Græcè in septem tomis edidit, simul in Latinum à se versas. quarum fata recenset in epist. dedicatoria & præfat. ad Lect.

Ut ut n., quandiu stetit Orientis Imperium, in usu fori Constantinopolitani fuit hæc legum compositio. Fabrot. *in d. epist. dedic.* in Occidentis tamen Imperio recepta non fuit. uti nec ipsius Leonis Novellæ, Cujac. *17. O. 31.* Dn. C. P. Richter. *in tripart. interp. mater. testam. ad l. 12. C. de testam. n. 41.* quar. propterea cum Jure Justin. conjunctionem improbat Rittersh. *in exposit. Novell. proœm. cap. 2. n. 26.* Quin nec ipsius Justiniani constitutiones Græcæ, quas, è Basilicis maximè, in Latinum versas, Codici inseruere Contius, Augustinus, Cujacius, authoritatem hactenus invenerunt.

16. Hoc jus Justininianeo recentius dividitur ab *Efficiente & Subjecto* in generale & speciale.

Generale est, quod à Legislatore Romano-Germanico promulgatum est, ut sit omnibus sub Imperio Rom. Germanico viventibus actionum civilium norma ac cynosura.

17. Ex hoc *quædam* corpori juris Justinianei publica authoritate inserta sunt; *cætera* autem ferè omnia extra id habentur.

Inserta sc. sunt Imperatoria authoritate, sub nomine Authenticar. Constitutio Friderici I. Imp. lata an. 1158. de Privilegiis, quæ bonar. artium Professorib. & Studiosis data, titulo Codicis: *Ne filius pro patre*. & Constitutionis Friderici II. quæ in libro Feudorum V. invenitur, capita varia eaq; undecim, variis Codicis titulis: quos omnes citant annotatio-

nes

nes Gothofredi ad d. constit. Quibus ipsis authenticis vim obligandi ex se tribuunt.

18. *Extra Corpus* juris Justinianei sunt cætera omnia, quæ à Legislatore Rom. Germanico, vario tempore, sunt sancita, maximè in Imperii Comitiis: & in volumine Recessuum, ut vocantur, Imperii: der Reichsabschiede: extant. Quod volumen ultima editione jussu Superiorum ante sexennium auctius prodiit, & ad faciliorem textuum evolutionem marginalibus ac indicibus variis optimè instructum. Sunt enim *Recessus Imperii* jura à Legislatore Romano-Germanico in comitiis Imperii legitimè constituta & promulgata.

19. *Speciale* jus Romanum Scriptum Iustinianeo recentius Romano sc. Germanicum est, quod à Principibus & Statibus Imperii singulis, ex superioritate, qua gaudent, territoriali constitutum & promulgatum est in eum finem, ut in ipsorum territoriis viventibus actionum civilium in iis, de quib. loquitur, cynosura & norma sit.

20. Quod jus sub generali *Statutorum* aut juris municipalis (Dn. Myler *in tr. de Princip. & Stat. Imp. Rom. c. 39. n. 2.* in eminentiore sc. significatu municipii & municipalis voce accepta, ut municipiis provincialib. contradistinguatur) nomine venit: sed à *causa efficiente & subjecto loco*, in quo ii, quibus latum est, vivunt, distinguitur in Provinciale & Municipale in specie.

Municipale in specie est, quod in Civitatis Imperialis usum conditum est ab iis, penes quos in ea jura condendi potestas est. ein Statt-Recht.

Provinciale vero quod Status Imperii iste, cujus totius alicujus provinciæ territorium est, in suæ provinciæ usum promulgavit. ein Land-Recht.

21. Utrumque ab istis causis appellationem quoque sortitur, ut Municipale jus *aliud* sit Argentoratense, Francofurtense *aliud*, *aliud* Noricum, & sic consequenter. Provinciale vero *aliud* e.g. Saxonicum, *aliud* Bavaricum, *aliud* Würtembergicum. Cujus ante omnia alia jura in inclyto hoc Ducatu usus est.

22. Est autem *Jus Provinciale Würtembergicum* jus à Legislatore Würtembergico in usum eidem subjectorum constitutum.

 Quod

Quod dividitur in das Fürstl. Würtembergische Land-Recht in specie sic dictum. hoc in certo volum. ordine comprehensum dividitur in quatuor partes, quarum 1. de Processu. 2. de Conventionib. & contractibus. 3. de testamentis ac ultimis voluntatibus. 4. de successionibus ab intestato agit. Et in *Ordinationes Provinciales* Würtembergicas: quar. *aliæ* inscribuntur des Hertzogthumbs Wirtemberg gemeine Lands-Ordnungen. quibus in fine annexæ adhuc Novellæ quædam constitutiones, etliche Fürstl. General-Außschreiben/ so nach publication angeregter Lands-Ordnungen im gantzen Hertzogthumb außgangen. E quibus maximè clarent prima & ultima; illa delictis contra sextum præceptum dignas interminans pœnas; hæc vero prudentissimam in criminalibus procedendi rationem Judicibus præscribens. *aliæ* vero des Hertzogthumbs Würtemberg allerhand Ordnungen / als Hoffgerichts-Vorst- und Wilderer- Bau- Zehend- Herbst- Umbgelts- Zoller- Müller- Becken- Metzger- Ordnungen. quæ separato à prioribus libello habentur. Sunt adhuc & aliæ, e. g. die Kirchen-Ordnung & in eadē Ehe-Ordnung.

Cujus juris Würtenbergici partem in specie ita dictam Joh. Jacob Plebst, utramque autem & jus provinciale & Ordinationes generales Christoph. Besoldus suis lucubrationib. & nuper Lauterbachianæ differentiæ inter jus Commune & Provinciale Würtemb. nec non in causis criminalibus, illustrarunt.

Hæc de jure Romano scripto.

23. Ius Romanum *non scriptum* est jus tacita Legislatoris Rom. voluntate per usum seu mores introductum eorum, qui in eo aliàs jure scripto reguntur.

Ad hoc jus inter alia referendum jus Feudale, &, sua quoque ratione, Canonicum.

24. *Feudale* jus est jus Rom. non scriptum quod per usum seu mores primùm, ut creditur, Longobardorum introductum, tacita potissimum Legislatoris Rom. voluntate postea in Imperio Rom. receptum est in eum finem, ut in eo circa utile rei alicujus dominium sub lege mutuæ fidelitatis à domino directo transferendum vel translatum, actionum civilium norma sit.

Seu est jus Rom. non scriptum de feudis agens.

Hoc

Hoc jus licet typis impressum ju[...] Iustinianei corpori à privato annexum sit, consuetudinum tamen [n]omen & naturam retinet. De quo ex Sonsbec. *in comment. ad u[s]. feud. part. 1. n. 22.* scribit Niell. *disp. feud. 1. th. 3. 4.* de eo amplius [d]ubitandum non esse, quin hæ consuetudines ubique servandæ: qu[i]a sic publicè in omnibus Universitatibus legantur, & in consultati[o]nibus Doctorum & juris decisionibus allegentur: nec quæstio sup[er] eo fuerit unquam. Cæterum, si quæ pars juris Rom., hæc certè Authorum lucubrationibus enucleata est.

25. Ius *Canonicum*, ab Authoribus suis etiam Pontificium dictum, est Ius, quod part. ex sententiis patrum, Concilior. decretis Pontificumq; constitutionib. à Gratiano quod. Monacho; partim ex Pontificum potissimum constitutionib. rescriptis atq; decretis à Pontificib. quibusdam collectum sub nomine *Corporis Juris Canonici* circumfertur in eum finem, ut sub Pontificis jurisdictione viventibus civilium actionum sit cynosura.

26. Ex qua descriptione patet, quod in duas *partes*, materia ex qua differentes, dividatur.

Prima è Conciliorum potissimum decretis: quæ & Canones, i. e. vivendi regulæ appellantur (sub quo nomine etiam propterea omnes ejus partes citantur) constans, *Decretum* vocatur.

Altera vero, quia majorem in ea partem Pontificum, qui ordine sibi succesſêre, epistolæ, rescripta atque decreta faciunt, *Decretalium* nomine venit. Cujus partes *causa effic.* discernuntur, ita ut pars 1. sint Decretales Gregorii IX. 2. Bonifacii VIII. 3. Clementis V. 4. Johannis XXII. 5. Variorum Pontificum; quæ propterea Extravagantes communes appellantur. Quibus non ita pridem accessit novus Decretalium, post superiores editarum, liber, collectore D. Petro Matthæi JC. Lugdunensi.

Ioh. Pauli Lancelloti IC. Perusini *Institutiones juris Canonici*, ut ut Pontificis jussu ab eo conscriptæ & ab aliis recognitæ fuerunt; quia tamen Pontificis jussu, ex incuria in curia illo tempore rerum illarum, ut conqueritur *in illar. proœm.* editæ non fuerunt, aut robur legum acceperunt: idcirco in censum Iuris Canonici non veniunt.

27. Cum vero Pontificis Rom. in Imperio quoad secularia nullibi; sed & nec quoad Ecclesiastica inter Protestantes, per constit. pac. relig.

R. A. de ann. 1555. §. damit allen renovatam & confirmatam in variis Imperii Comitiis universalibus, maximè vero in instrumento Pacis Cæsareo-Suecico artic. 5. §. 1. sit jurisdictio, idcircò quod ex hoc jure in Imperio Romano-Germanico per usum seu mores introductum observatur, non Pontificis authoritati, sed Legislatoris Rom. tacitè declaratæ voluntati adscribendum est, & sic ad jus Rom. non scriptum pertinet. Reinking. *de R. S. & E. lib. 2. cl. 2. c. 7. n. 5.*

Ex eo autem usu seu moribus in jure Civ. non decisa decisionem plerunque accipiunt: apud Protestantes quidem, si non sunt contraria eorundem ordinationibus Ecclesiasticis. Sed & quæcunque in eo etiam decisa conscientiam respiciunt, moribus ex hoc decisionem non rarò petunt, ut sunt causæ juramentorum, Præscriptionis, Matrimoniales & similes. nec non, & maximè, ea quæ ad causarum forensium processum spectant.

28. Uti vero jus scriptum, ita & non scriptum, pari ratione, in generale & speciale seu particulare rectè dividitur. Cujus divisionis explicatio ex superioribus desumi potest.

29. Hæc enarrata varia jura ubi invicem ad causæ alicujus decisionem diversa sanctione concurrunt, ex iis speciale præfertur generali. *l. 147. ff. de R. I. c. 1. in fin. princ. de feud. cogn. 2. F. 1.* posterius sive scriptum, sive non scriptum, anteriori. *l. ult. ff. de constit. Princ.* Et sic, quia sine dubio Codex repetitæ prælectionis posterior est Digestis & Institutionibus, ut ut uno tantum, ratione compilationis, anno: idcirco etiam vim iisdem derogandi habet, si quid forsan in illis sibi verè contrarium offendit.

30. Ubi vero omnia jura, Justinianeo excepto, deficiunt, ex eo, ejusq; qualibet parte, sive Institutionum sive Digestorum sive Codicis, maximè Novella Justiniani constitutione non correcta, & tanto magis ex ipsis Novellis, non minori authoritate decisio desumitur, ac ex jure vel heri demum promulgato.

31. Quod Ius Iustinianeum etiam in publicis Imperii sanctionibus jus commune, das oder die gemeine Recht / vocatur. Recess. Imp. de ann. 1529. §. 6. de ann. 1654. §. 83. 105. 122. Ord. Crimin. art. 165. gemeine Reichs-Recht. Ordnung des Landfr. zu Wormbs. de ann. 1521. tit. 18. §. 2.

32. Et ult. Nec fas est de Institutionum robore in hoc dubitare, cum id peculiari Imperatoris sanctione acceperint *in §. pen. proœm. Inst.*

F I N I S.